

lit. Venetus autem victoria abusus, quum navales socios 1427
in eam terram, quæ Cremonam inter atque Padi fluenta
jacet, inexplorato exposuisset, eruptione a Christophoro
Lavellano, qui urbi præsidio erat, repente facta, ingens
illis trepidatio injecta est. Erant socii navales fere omnes
Illyrici Dalmaticique nominis, quippe qui, si quando vi-
no paululum incaluerunt, nullum vitæ discrimen reformi-
dant. In hos pedes equesque Lavellanicus subito coortus,
ad trecentos tumultuario incurfu confecit. Execratus gu-
bernatorum temeritatem Bembus, qui militem, se incio,
in terram exposuissent, classem in superiora Padi loca agi
jussit, præsidioque ad Abduæ & Padi confluentem expu-
gnato, per Ticinum adverso flumine provectus, haud pro-
cul Papiâ substitit: veteres urbem ipsam a proximo, ut
credo, flumine Ticinum dixere. Hic quia solitudinis &
silentii omnia circa ripas plena offendit, insidias veritus,
Cremonam est reversus. Hic ad pristinam cladem ulci-
scendam, milites præfectus classis Venetus exposuit, ra-
tus si cum Lavellanico tantum milite dimicandum esset,
fore ut injuriam nuper acceptam nova pugna ulciscere-
tur. Sed erat per eos dies urbem ingressus Nicolaus Guer-
rierius, qui cum sua equitum ala Lavellanicis mixtus ma-
jore omnino clade, quam nuper accepta erat, Venetum
affecisset, nisi paucis sub primum congressum cadentibus,
opportune Bembus receptui cecinisset. Hæc in aquis.

In mediterraneis vero æstate jam appetente, ac copiis,
quas ingentes Venetus ad eam diem stipendio contraxe-
rat, in Mantuano agro paratis, Carmaniola Patavio pro-
fectus, ex Lagisio Salodium Benaco trajecto, ad quintum
lapidem Brixia propinquarat: quum Albericus Cunii Co-
mes, & Petrinus Dertonensis, cui Turco cognomen fuit,
ex Octolengo, ubi stativa habebant, subito incurfu (di-
stat enim id oppidum a Brixia octo ferme millia passuum)
in ipsas prope portas delati, ingentem in urbe trepidatio-
nem fecere. Et jam ad quadringentos pabulatores in sub-
urbanis locis oppressos agebant: quum Petrus Laureta-
nus, cui summa tum Brixia potestas fuit, ubi hostem